

300. *Obj. II. cont. 2^{am}. concl.* Qui peccati reservati ignarus aut oblitus bona fide confitetur peccata non reservata, est dispositus ad beneficium absolutionis recipiendum; ergo ita absolvitur ab his peccatis directe, ab illo autem indirecte per sacerdotem carentem facultate in peccata reservata.

R. *N. Cons.* Non est defectus ex parte poenitentis, sed ex parte sacerdotis, qui, excepto casu mortis, nihil potest in peccata reservata, ut manifeste protestatur Concilium Tridentinum.

Inst. 1. Sacerdos iste saltem est legitimus iudex respectu peccatorum non reservatorum in casu proposito; ergo ab his potest directe absolvere, et a casu reservato indirecte.

R. *N. Ant.* Numquid, si sacerdoti huic aperiretur peccatum reservatum, crederet se legitimum iudicem talis poenitentis respectu cæterorum peccatorum? Non sane. Ut ergo dicatur quis legitimus iudex poenitentis, debet habere facultatem expeditam ab eum absolvendum ab omnibus peccatis mortalibus.

Inst. 2. Sacerdos, qui tenetur sacrum facere, nec potest peccatum reservatum confiteri uni, qui in illud potestatem habet, saltem tum indirecte absolvetur ab alio; quia Conc. Tridentinum jubet ipsum ante confiteri, si potest; ergo.

R. *N. Ant.* Cum talis confessarius extra mortis articulum nihil possit in reservata, ut monet ipsum Tridentinum, tenetur memoratus sacerdos elicitâ contritione perfecta, non confessus celebrare, ut qui copiam confessarii non habet, ac postmodum, quamprimum potest, sacerdoti idoneo confiteri, juxta ejusdem Concilii præceptum.

Inst. 3. Oblitus peccatum reservatum, et cætera confessus ei, qui a reservatis absolvere potest, absolvetur indirecte a reservato; ergo etiam si confiteatur ei, qui non habet facultatem in reservata.

R. *N. Cons.* Ratio discriminis apparet in argumento ipso: quia prior confessarius habet facultatem absolvendi, non item posterior.

Inst. 4. Ergo si quis peccatum reservatum perpetuo oblitus omitteret confitendo sacerdotibus non habentibus potestatem in reservata, nunquam absolvetur, et consequenter damnabitur: quod admodum dure sonat.

R. *N. Illatum.* In articulo mortis quilibet sacerdos potest absolvere etiam a reservatis peccatis. Deinde incredibile est, posse aliquem peccati reservati perpetuo oblivisci, cum non nisi externa, eaque atrociora crimina reservari soleant. Denique alia adhuc sunt media peccato reservato citra confessionem sese expediendi. Ex hactenus disputatis

301. *Coll. 1^o.* Si quis a sacerdote ordinariam jurisdictionem in reservata habente ab his indirecte absolvatur, non ideo tollitur reservatio peccati ex oblivione omissi in confessione: alias enim valde imprudenter et contra finem reservationis ageret, si ita esset animo comparatus, ut quemlibet poenitentem bene dispositum liberare vellet ab obligatione sistendi se superiori propter reservatum peccatum oblitum; etiamsi illius postea recordaretur. Quæ quidem imprudens voluntas de nullo superiorum præsumitur, nisi id aperte declararet. Subdelegatus autem indirecte a reservato absolvens multo minus reservationem tollere potest: nequit enim illam tollere nisi directe et valide in sacramento absolvendo a peccato: neque etiam potest

alii, cui poenitens peccatum ex oblivione omissum confiteri iterum tenetur, legare facultatem tollendi reservationem. Excipitur tamen casus, cui reservatio propter censuram annexa est: nam in his a quolibet confessario prius tollitur censura, quam detur absolutio. Unde ante absolutionem solet confessarius dicere: *Absolve te ab omni vinculo excommunicationis, etc. quantum possum, etc.*; et subauditur etiam: *quantum licet.* Hinc nemo a censura absolvitur, quam sponte sine justa causa relicet, aut quam ob damnum alteri illatum incurrit, nisi jam satisfecerit, vel aliud exigat necessitas.

2^o. Qui percipit a superiore absolutionem a reservatis, quæ ipsi confessus fuit, etsi invalidum esset sacramentum defectu dispositionis debitæ poenitentis, vere liber est a reservatione: nam superior, vel alius habens potestatem ordinariam, vere vult eum solvere a reservatione, atque id potest absque sacramento; ergo sacramentum invalidum in hoc casu nihil obstat. Dixi, *a superiore vel habente potestatem ordinariam*: nam cum delegatus reservationem tollere nequeat, nisi tollendo omnem obligationem iterum subjiciendi clavibus peccatum, quod fuit reservatum, atque ad hoc directa et vera absolutione sit opus, consequens est, ab eo in confessione sacrilega aut alioquin invalida non tolli reservationem, nisi ex annexa tantum censura fuisset reservatum.

3^o. Peccat superior, qui difficilem se præbet in danda facultate, quam poenitens postulat, ut ab alio sacerdote absolvi a reservatis possit; quia potestas peccata quædam reservandi data est in ædificationem, non vero in ruinam et destructionem.

ARTICULUS V.

QUIBUS ABSOLUTIO DANDA SIT AUT NEGANDA?

302. *Dico I.* Non licet ministro quemquam absolvere, quem non prudenter ac probabiliter iudicat esse dispositum ad absolutionis sacramentum digne recipiendum.

Prob. I. Sacerdos gerit vices Christi, et quæ ipse solvit in terris, debent etiam esse soluta in cælis, secundum illud B. GREGORII: *Tunc vera est absolutio præsentis, cum æterni sequitur arbitrium judicis.* homil. 26. in Evang. n. 6. (opp. t. 1. p. 1554. E.) et citatur in Decreto causa XI. q. 3. Ergo non potest sacerdos absolvere nisi quem Christus ipse absolvit, hoc est, nisi rite dispositum: alias errabit clavis, et minister illa abutendo peccabit tam contra justitiam, quam contra religionem, eo quod iudicium et actionem sacram male tractet.

Prob. II. Ministri sacramentorum tenentur non dare illa indignis: neque in re tanti ponderis sine sufficiente cognitione licet operari, ne se periculo errandi exponant; ergo prudenti ac probabili iudicio ante debent decidere de dispositione bona poenitentis, quam ei gratiam absolutionis impertiant. Cum autem recta poenitentium dispositio constet ex displicentia præteritorum, et ex proposito in futurum, utrumque confessario est expendendum.

1^o. Ac de dolore quidem sufficiente facile iudicare sacerdos potest, cum

pœnitens in ipso modo confessionis et accusationis suæ animi contriti signa præfert; aut certe si sit homo valde rudis, et bene moratus, modicam diligentiam in hoc tenetur confessor adhibere. Quod si non appareant sufficientia signa doloris, motivis propositis commode eo inducatur. Si advertat, ipsum laborare ignorantia mysteriorum fidei potiorum, aut eorum quæ ad usum sacramenti pœnitentiæ requiruntur, nec posse sufficienter in præsens instrui, differat absolutionem ad tempus aliud, dum melius institutus redierit; ne impingatur in propositionem 64. inter damnatas ab Innocentio XI. an. 1679.

2º. Ut pœnitens ad propositum concipiendum inducatur, non opus est, proponi illi omnes difficultates, quæ in vitandis peccatis occurrere possunt; imo quandoque non expedit, ne exponatur manifesto periculo non solum non habendi propositum efficax emendationis, sed etiam denuo peccandi. Sufficit ergo, ut proposita generatim fœditate peccati, Dei bonitate, periculo æternæ damnationis, eo peccator concipiat generale propositum nunquam iterum peccandi mortaliter. Neque oportet, ut confessarius et judicet etiam probabiliter ita esse futurum, ut pœnitens a peccando absteineat; sed satis est, ut existimet, nunc ipsum habere verum ac sincerum propositum non peccandi de cætero. Ita cum Suaresio docent omnes auctores; et ratio satis clara id suadet.

3º. Qui protestatur, se obligationem suam expleturum, quamprimum potest ac tenetur in causa restitutionis, nec notatur esse inconstans aut infidelis, continuo absolvi potest ac debet; neque oportet juramentum aut cautionem aliam ab illo exigi, nisi in casibus a jure expressis, ut Navarrus c. 26. n. 2. alique advertunt. Quod si quis fidem datam aliquoties fefellisset, differenda ei absolutio est, dum officium reipsa expleverit. Quo in casu cautos et constantes decet esse sacerdotes, ne peccatis graventur alienis, ut Navarrus ibid. n. 5. et c. 17. n. 34. Cajetanus, S. Antoninus et omnes Theologi monent. Cui restitutio est impossibilis, etiam moraliter, hoc est, difficillima, absolvi debet, modo proponat se satisfacturum suæ obligationi, cum primum ad pinguiorem fortunam venerit.

4º. Peccandi occasio moralis proxima est, vel ex genere suo talis, ut frequenter homines similis conditionis ad ejusmodi peccata inducat, vel certe experimento probavit habere in hoc homine talem effectum. Quod si occasio vitari non possit, neque censebitur voluntaria, culpabilis et assumpta, sed illata; atque id, quod ex ea nascitur, non tam erit voluntarium et morale secundum se, quam necessitas quædam vel impotentia, propter quam homo non fit absolutione indignus. Quanquam autem talibus absolutio negari non debeat, etiamsi iterum iterumque recidant, maxime si se aliquando contineant, et numerum peccatorum paulatim diminuunt; variis tamen mediis opus est ad eos curandos, et ad explorandum, utrum propositum ipsorum sit efficax. Nec abs re erit, absolutionem ita affectis subinde differri, eisque difficiliora pœnitentiæ opera, cautelas emendationi accommodatas præcipi. Tandem si his nihil profici experimento constiterit, adigendi sunt ad tollendam occasionem, etiam cum gravi nocumento temporali, ut Christus Matth. 18. v. 8. exigit. Ubi non modica sacerdotis prudentia requiritur, ut scandalum, aliaque incommoda graviora devitet. Vide propp. 61. 62. 63. ex damnatis ab Innoc. IX.

5º. Sunt adhuc alii, qui inveterata consuetudine peccandi lethaliter detenti sacramenta obire præsumunt. His absolutio ante impendi non potest, nec fides haberi debet, ut uti dolorem ac propositum protestentur, quam præscriptis mediis usi, aliquod saltem emendationis specimen ediderint, ut monet idem Innocentius XI. damnatione propositionis 60.

303. *Dico II.* Sacerdos non potest absolvere moribundum, qui nullo signo edito dolorem suum de peccatis vel ipse vel per alios sacerdoti testatus fuit, aut absolvi petiit; licet de ejus recta fide et probitate vitæ constiterit.

Prob. I. Sacramentum pœnitentiæ constat ex materia et forma tanquam partibus essentialibus; partes autem essentielles materiales sunt dolor et confessio, ut c. 1. a. 4. hujus disp. demonstravimus; ergo si moribundus nullo signo vel ipse, vel per alios sacerdoti testatus fuit, aut petiit absolvi, sacerdos eum absolvere non potest. *Prob. seq.* Cum deficit pars materialis essentialis, sacramentum non potest confici: atqui cum moribundus nullo signo potest suum dolorem testari, aut confessionem formaliter integram proferre, deficit pars materialis essentialis; ergo minister non potest absolvendo conficere sacramentum.

Prob. II. Administratio sacramentorum debet peti ex doctrina et usu Ecclesiæ: atqui Concilia, Patres et Ritualia ad absolutionem moribundorum Catholicorum exigunt saltem testimonium adstantium, quod sacerdotem petierit, ut supra n. 187. retulimus; ergo veteribus non videbatur vita proba Catholici signum sufficiens esse ad dandum ei absolutionem.

Prob. III. Ut quis sit idoneus ad absolutionem recipiendam, non sufficit signum ex quo præsumi possit, fore ut doleat de peccatis, et se eorum accuset; nam Tridentinum ait, materiam hujus sacramenti esse ipsius pœnitentis actus, Sess. 14. c. 3. *nempe contritionem et confessionem*: horum autem signum non est vita christiane acta, utpote quæ cum peccato actuali componi potest. Imo voluntatem confitendi sæpe habent Christiani, dum actu peccant.

304. *Obj. S. AUGUSTINUS* L. 1. de adulter. conjug. c. 26. postquam scripsisset, baptizandos esse catechumenos, qui morbo vel casu aliquo sic oppressi sunt, ut nec petere sibi baptismum, nec ad interrogata respondere possint, tales etiam catechumenos, qui viventium conjugibus copulati, retinent adulterina consortia: tandem subjungit c. 28. *Quæ autem baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si forte pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit; nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia.* Ergo secundum mentem S. AUGUSTINI absolvendi sunt omnes moribundi Catholici, licet signum nullum dare possint.

R. N. Cons. Sicut S. AUGUSTINUS non quosvis homines in tali casu pronuntiat esse baptizandos, sed catechumenos, qui baptismum jam flagitaverant: ita non quosvis usu sensuum destitutos Christianos vult absolvi, sed pœnitentes, qui per pœnitentiam publicam se jam disposuerant ad absolutionem. Neque ait pœnitentes adulterinis adhuc illecebris irretitos esse absolvendos, tales enim non essent pœnitentes, sed, qui *retinent adulterina consortia*, h. e. occasionem peccandi nondum abdicaverunt. Nam S. Pater mox ita prosequitur, *cum salvos corpore admittamus ad Baptismum, tamen si desperati*

jacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptizandos puto, ut etiam hoc peccatum cum cæteris lavacro regenerationis abluatur. Quis enim novit, utrum fortassis adulterinæ carnis illecebra usque ad Baptismum statuerant detineri.

Inst. Sacerdotale Romanum Venetiis an. 1560. a Jo. Vorisco excusum fol. 62. profert et approbat sententiam S. Antonini, tract. de sacram. Pœnit. c. 26. qua decernitur, infirmo, qui amisit loquelam vel usum rationis... si bene vivebat ut bonus fidelis, et frequentabat confessionem et communionem, quamvis non petierit sacramenta, absolutionem esse impertiendam. Simile quid habetur in statutis synodalibus Ecclesiæ Lemovicensis conditis an. 1619. c. 21. et Ritualibus Ecclesiarum Moguntinæ, Herbipolensis ac Wormatiensis, editis an. 1671. p. 87. de Pœnit. sacram. Deinde licet Theologi paulo antiquiores dicantur concludere pro sententia rigidiore; non pauci tamen tam veterum, quam recentiorum recitantur benignioris opinionis patroni, a Diana tom. 3. resolut. moral. tract. 3. Porro multi non Theologorum duntaxat scholasticorum, sed Eminentiss. ac Illustriss. etiam Cardinalium et Episcoporum censent, mitiorem istam disciplinam S. Augustino fuisse probatam, et in his Ecclesiis executioni decere mandari. Dubia igitur res est, utri partium adversarum sit adhærendum. Denique utcumque Thomistarum sententia (quod actus pœnitentis sint materia sacramenti ex qua) probabilior judicetur, manet tamen sua probabilitas opinioni Scotistarum tenentium, contritionem et confessionem esse materiam circa quam, seu dispositionem absolute requisitam, ut habeatur effectus sacramenti pœnitentiæ. Unde sequitur data absolutione integrum esse sacramentum integritate substantiæ, quamvis dolor et confessio ægroto desint. Atqui cum dubium est, an sacramentum valeat ac prosit urgente necessitate; conferendum est, ut hominis saluti consulatur; ergo. Ita Joan. Morinus L. 10. de pœnit. c. 10. n. 4. Merbesius in summa Christiana, dissert. 4. de Pœnitentia. q. 85. et alii recentiores qui pluribus adhuc argumentis sententiam mitiorem laborant stabilire.

*R. N. Cons. Sive confessio cum dolore sit materia ex qua, sive materia circa quam; materia tamen sacramenti hujus pronuntiatur a Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 3. et pars sacramenti pœnitentiæ, can. 4. Quod certe non essent si nullo signo externo probabiliter sub sensu caderent, prout in dato casu accidit. Absolutio ergo nequit impendi, quando ne probabilis quidem sacramenti materia apparet. Hinc S. Facultas Parisiensis 3. Febr. an. 1665. hanc ex Amadæi Guimenii libro excerptam propositionem proscripsit: *Infirmus, qui amisit loquelam, vel usum rationis, si bene vivebat ut bonus et fidelis, frequentabat confessionem et communionem, quamvis non petierit sacramenta, quia ex insperato talia acciderunt, debet præsupponi contritus et faciente aliquo confessionem generalem pro eo, sicut fit in populo, sacerdos faciat absolutionem ab omni sententia et peccato.* Talis quoque est propositio 16, quam inter plures alias a suis Professoribus doceri prohibuerunt Superiores Societatis Jesu in Ordinatione pro studiis superioribus. Sententiam istam non Thomistæ modo, sed Scotistæ etiam amplectuntur: eamque Cardinalis de Lugo dist. 17. de pœnit. sect. 3. n. 39. et 40. ait, merito ab omnibus ut certam supponi, nec expedire, in re tanti momenti sub pietatis specie plus sapere, quam Patres nostri sapuerunt.*

Cum hac sententia speculative certa mitiorem conciliant, qui gemitus,

suspiria, respirationes, oculorum membrorumque aliorum inusitatas motiones tanquam signa dubia, quæ moribundi suam contritionem et absolutionis desiderium pro tenuitate testari videntur, probabiliter aiunt, sufficere sacerdoti, ut beneficio absolutionis periclitanti et possit, et debeat opitulari. Quod si talium signorum defectu, videatur aliquibus vita christiane acta sufficiens esse confessio, eo quod tali conversatione quivis sibi cupiat prodesse quantum potest, intendant se in tali casu ad obtinendam absolutionem manifestare; putentque ob reflexa et practica judicia, talibus absolutionem, saltem cum conditione, minime esse negandam: non video tamen, qua probabilitate sustineri possit, quod Bonagratia aliique affirmant, in casu posito, absolvi posse laborantem infamia, in actuali peccato sensibus destitutum, in duello vel adulterio confossum. Vid. La Croix L. 6. p. 2. 1163.

ARTICULUS VI.

DE SIGILLO SACRÆ CONFSSIONIS.

303. *Nota.* Inter officia, quæ ministro sacramenti pœnitentiæ incumbunt, ordine postremum est obligatio reticendi omnia, quæ pœnitentes in sacro hoc tribunali confessi sunt, quæque inter ipsum et confitentem in negotio isto salutis fuerant tractata. Nam licet sacerdos, pœnitente dimisso, cæteras suæ functionis partes numeris omnibus absolverit: legibus tamen sacri hujus silentii tum demum arctissime et perpetuo ita incipit adstringi, ut nemini unquam de iis, quæ sibi in pœnitentiæ sacramento credita fuerunt, verbo aut signo alio deinceps mentionem, pœnitente invilo, fas sit ingerere.

De sacro hoc vinculo, quo sacerdotum linguæ tenentur, quodque passim *sigillum sacramentale* in scholis audit, tractat S. Thomas in 4. d. 21. q. 3. a. 2. et seqq. et in supplemento 3. p. q. 11. tota, et cum eo Theologi cæteri. Secundum quorum placita sigilli hujus veritatem, naturam, firmitatem, originem cæterasque proprietates et affectiones breviter expendemus.

306. *Dico I.* Minister pœnitentiæ sacramenti obligatione gravissima tenetur ad reticendum perpetuo ea omnia, quæ sibi pro confessione credita fuerunt a pœnitente. Ita Theologi communiter, et Canonum consulti, qui contrariam quorundam veterum ac recentiorum opinionem tanquam erroneam rejiciunt.

Prob. I. S. GREGORIUS M. c. Sacerdos, de Pœnit. d. 6. vetat, peccata cuiquam hominum recitari, neque pro aliquo scandalo quidem. Quod si sacerdos secus fecerit, *deponatur, inquit, et omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat.* At scandali quidem evitandi causa suadet, multa fieri aut omitti, quæ alias citra peccatum omitti non poterant aut exerceri. Concilium Lateranense can. 21. (Lab. t. 11. p. 173. C.) qui habetur cap. *Omnis utriusque,* de pœnit. et remiss. idem statuit: *Sacerdos caveat omnino, ne verbo vel signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodatur peccatorem... Quoniam qui peccatum in pœnitentialem iudicio sibi delectum præsumpserit revelare, non solum a sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam, in arctum monasterium*